Hs. - Inv. Nr. 333

Pietate et Eruditione praestanti Viro, Domino Magistro Bartholomaeo Wolfhart Superintendenti et pastori in Schleusingen, Domino suo semper venerando.

Gratia et pax a Domino nostro Iesu Christo.

Quanta tua et aliorum in me benevolentia fuerit humanissime Domine Magister non possum oblivisci. Magno enim me ornastis honore. Nam forte mihi quaerenti, non tam parentum quam conditionem meis viribus parem in comitatu Hennebergensi, promisisti mihi iuxta petitionem meam Ecclesiasticam conditionem in pago Frickelshausen, idque ante mensem aut amplius, cui etsi me longe imparem fore sciebam, tamen tuo et aliorum doctorum virorum auxilio et consilio cum nulla alias scholastica vacaret, suscepi. Quare pro hac tua in me benevolentia, et exhibito officio gratias ago immortales. Et rogo, ut, quo coepisti me iuvare in hac vocatione subeunda, ulterius iuves, ac praeceptori nostro D. Philippo Melanch: (ut coram promisisti) scribere velis, ut et sciat me legitimam habere vocationem, et ut tandem testimonium bonum doctrinae ab eo et aliis adferam. Non enim Paulus vult quemlibet ad hoc ministerium admitti, sed praecipit haberi delectum, et quaerendos esse idoneos ad docendum, et qui bonum habeant testimonium ab iis qui foris sunt. Et recte quidem. Quia multi inveniuntur qui cum vix tria ~~Stesichori~~ Stesichori noverint, et multis contaminati sceleribus, sese in hoc ministerium ingerunt, non perpendentes, quam grave et difficile sit, quantum habeat oneris et molestiarum, quantum doctrinae et diligentiae recte in eo administrando opus sit. Quare fit quod per talium hominum incuriositatem multae Ecclesiae negliguntur, et labefactantur, et populus non bene institutus in vera doctrina, tandem rursus labitur ad idolatriam, quod miserandum est. Exemplis non opus est, quia innumerabilia etiam hoc nostro tempore experti sumus, et adhuc quotidie experimur. Recte autem faciunt, et laude digni sunt boni principes, qui fideles suarum Ecclesiarum inspectores constituunt qui praecipue antequam aliquos ad functionem aliquam Ecclesiae admittunt, prius illorum ingenium et doctrinam explorant utrum sint idonei nec ne.

Quare inprimis quoque laudanda est haec celebris Academia
Vittembergensis, ex qua lux divini verbi nobis per
doctos homines restituta est, et ubi illud adhuc syncere
docetur. Hic enim sunt instituta publica examina,
in quibus ingenia et doctrina eorum, qui se volunt
ecclesiastico muneri subjicere, explorantur, qui si synce-
ri et idonei inveniuntur (ut notum est cuilibet) dan-
tur illis quoque publica testimonia verae confessionis.
Cum enim et ego a te doctissime domine Magister, et ab
aliis illustris comitis Hennebergensis visitatoribus mu-
nus ecclesiasticum impetraverim, et in hac celebri scho-
la meae eruditionis testimonium adferre constituerim, rogo et
oro, ut pro me porro laborare, et circa nundinas prox-
imas Lipsenses a praeceptoribus nostris, et doctoribus
Academiae ordinationem petere non dedignemini, et roga-
re deum patrem domini nostri Jhesu Christi, ut meum
totum studium cedat in eius honorem, et reipub: utilita-
tem, et ut firma et constanti fide hanc doctrinam
a prophetis, Christo, et Apostolis traditam, posthac doce-
am ac retineam. Idem et ego pro vobis omnibus
orabo. Dominus servet vos, et ecclesiam suam in aeternum
Amen.

Datum Vittembergae 7 die Octo:

Michael Romanus.

1550